Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1941
Quelle:
Copyright:

sceua le persone, ne sapea la lingua. Nemo vero facile mirabitur, eum sic habitum fuisse in Regione Sacris catholicis in primis addicta, qui praesens ejus Scriptum legerit, quod satis impudenter *Maximiliano Boh.* Regi, miti Principi dicavit. In *prima* ejus Parte exagitat Missae Ritus ab Introitu usque ad Canonem, in *secunda* inde ad Orationes Secretas, in *tertia* inde usque ad finem, in *quarta* Missae, ut ait, Abusus et Abominationes persequitur. An *Bern. Occhino*, an *P. P. Vergerio*, an quo alio magistro usus, an originem suam antiquissimae *Pramperorum* Prosapiae, cujus Heroes aliquot recenset *Job. Jos. Capodaglius* in *Udine illustrata*, debuerit, quibus deinceps fatis in *Germaniam* delatus usus fuerit, hactenus non reperi. Ad calcem Operis visitur pictura lineari ejus Icon barbata, librum tenens, quam ambit in orbem Versus: *Mittam vobis Spiritum Paracletum. Et dabo vobis Spiritum novum. Et ille vos docebit omnia.* 1560.

D.

878 Codex chartaceus germ. lat. gall. Sec. XVI. Folior. 35. f. congestus est e Monumentis sequentibus: Epistola germanica *Job. Friderici Saxoniae* Ducis, Electoris et Burggravii *Magdeb.* ad *Job. Bugenhagen, Greg. Pruck* et *Phil. Melanchthonem* data *Aldenburgk Freytag post Invocavit. Anno* 1547. qua nunciat, 2. *Martii* caesum a se cum 1500. Equitibus et 4000. Peditibus, quos inter et Caesarei, captumque *Albertum* March. *Brandeburgicum*, qui pro *Mauritio Sax.* Duce *Rochlicium* insederat. Init: *Wir wissen euch gnediger mainung nicht zu bergen, das sich hertzog Moritz die vorgangene tag, als wir etzliche vnser Reutter vnd hackenschützen in andern sachen von Colditz abgefordert* &c. Vide *Sleidani* L. XVIII. Sed laureatas has Literas non multo post secuta est *Rochlicii* receptio et Pugna ad *Mühlbergam.*

Fol. 2. *Job. Hoppii Budissinensis*, tunc Professoris in Acad. *Regiomontana*, sed eodem anno dimissi Literae datae 13. *Martii* 1553. ad *Balth. Sartorium Saxonem Oschatz. Cracoviae* iter in *Italiam* meditantem. Laudatur primo studium ejus *in corrigendis stellarum motibus*, suadetur pro itinere praedicto potius oblata conditio *Vitebergae* in Academia, deploratur infelix rerum facies *Regiomonte* orta ex *Osiandrismo, Mörlinum ad discessum compulsum a Principe*, (Alberto Brandeb.) missionem impetrasse D. *Pontanum*, *Cödricium* et M. *Wagnerum, quod noluerunt consentire in receptionem cujusdam Professoris Pædagogici nomine M. Vrbani Stürmeri Sectae Osiandrinae. Hanc Lernam solus Brentius nobis obiecit, qui nescio quo fuco et quibus labyrinthis Osiandri deliria inuoluere atque tegere uoluit. Nam rogatus a Principe, ut suam quoque de hac controuersia perscri-*